186

184

190

180

195

175

235

135

285

085

stetisset. Quapropter facta est contentio et indignatio inter patronum et gubernatores: et rectores inter se concertabant, et galeotos inculpabant. Avertebant ergo galêam a coepto itinere ad dextram, et circa vesperas ad veram maris semitam revenimus. Sed mox ut semitam apprehendimus, siluit ventus et paene nihil illa nocte navigavimus. (66 A)

Vicesima quinta venimus ex opposito antiquissimi portus Cypri, qui dicitur Paphum, de quo habetur Actuum 13. v. 6. et 13., circa quam vidimus montem Veneris, ut dicam in reditu, et tarda erat nostra navigatio usque ad meridiem. Meridie venit bonus ventus, qui tulit nos inde, et repente pertransivimus ad latus regni Cypri portum limonnicensem et biscopiensem, et circa vesperas ad salinensem portum applicuimus et navem anchoris et tonsillis alligavimus. Statim autem dominus patronus cum suis famulis educi se fecit ad litus, et ibi conductis equis in Nicosiam civitatem et caput regni Cypri ad reginam equitavit, visitare volens uxorem suam, quae cubicularia reginae erat. De hac civitate dixi fol. 16. A. et ejus descriptio habetur fol. 143. B. P. II. Cumque dominus patronus recessisset, stetimus nos peregrini supra galêam terram respicientes, et ego stabam cum eis, dicens mecum stantibus de portus illius sterilitate, et conditiones illius regionis, quia in priori peregrinatione multis diebus ibi fueram. Ostendi etiam dominis peregrinis loca terrae, quae novi: et inter alia ostendi eis montem S. Crucis, qui est altior mons totius regni cyprii, et in ejus cacumine est ecclesia, in qua pendet crux dextri latronis cum Christo crucifixi, et dixi Dominis ea, quae referuntur de illa cruce, ut patebit. Cumque Domini mei, et alii peregrini starent et mirarentur de illa cruce, et montem respicerent, qui quinque theutonicis miliaribus a nobis distabat, dixi eis: ecce charissimi socii, dominus patronus intravit Nicosiam, et cras de sero vix revertetur, et ante ejus reditu recedere non possumus, et cras longissimam et taediosissimam diem habebimus: nunc igitur si quis vult mecum proficisci ad montem sanctum, veniat ad puppim, et visitabimus crucem sanctam, et die crastina tempestive hic erimus. Et his dictis processi ad puppim, et multi nobiles sequebantur me, putantes me joco illa dicere et facere. Conduxi ergo in puppi

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;